Ihe

Domina montania pascherit

14 Jll

Nh
1236

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-126702-p0001-5

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Db, 7.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-126702-p0002-1

XII.

THESES THEOLOGICÆ

De

COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Propositæ ad publicam disputationem in illustri schola Nassovica Herbornensi.

Præside

JOHANNE PISCATORE sacrarum literarum Professore.

Respondente

ZACHARIA WENNEMEYERO ASCANIENSI, M. Zachariæ Wennemeyeri Pastoris Plötzkaviensium filio.

XVII. Maji.

Herbornæ Nassoviorum. 1600.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-126702-p0003-6

ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI
JOHANNI-GEORGIO,
PRINCIPI ANHALTINO,
ASCANIÆ COMITI,
SERVESTÆ BERNBURGIQ.
DYNASTÆ, ETC.
MÆCENATI SUO CLEMENTISS:
hasce de
COMMUNICATIONE IDIOMATUM
Theses
inscribit mittitque
RESPONDENS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-126702-p0004-2

THESES THEOLOGICÆ
De
COMMUNICATIONE
IDIOMATUM.

QUÆSTIO.

Controvertitur hodie in ecclesia, an aliquæ proprietates naturæ divinæ in Christo (ut omnipræsentia seu ubiquitas, omniscientia, omnipotentia) communicatæ sint naturæ ipsius humanæ: ita ut illa non minùs sit omnipræsens seu ubiq;, item omniscia & omnipotens, quàm natura divina?

THESIS I.

NOs id negamus.

II.

Idque moti hoc argumento, quòd scriptura clarè testatur, Dominum nostrum Jesum Christum esse verum hominem, nobis similem factum per omnia, excepto peccato. Hebr. 2. v. 17. & cap. 4. v. 15.

III.

Si verò proprietates illæ naturæ divinæ, communicatæ essent naturæ ipsius humanæ: tum Christus verus homo non esset.

IV.

Quia natura ejus humana per communicationem illam effecta esset natura divina.

V.

Etenim proprietates naturæ divinæ cum ipsa essentia divina reipsa unum & idem sunt.

VI.

Quare cui communicantur proprietates illæ, ei ipsa essentia divina communicatur.

VII.

Deinde si proprietates illæ essent communicatæ: communicatæ essent & reliquæ omnes, atque ita etiam æternitas & infinitas.

IIX.

Quia proprietates essentiæ divinæ à se mutuò divelli non possunt: quum sint ipsa essentia divina simplicissima atque indivisibilis.

IX.

At æternitas & infinitas non sunt communicatæ: id quod adversarii concedunt.

X.

Nec veró adversariorum sententia confirmari potest vel in genere de commemoratis proprietatibus omnibus, ex unione duarum naturarum hypostatica seu personali: nec in specie de omnipræsentia seu ubiquitate, ex illis scripturæ pronunciatis, quæ omnipræsentiam Christo tribuunt denominato à natura humana, vel alio quocunq; nomine appellato.

XI.

Nam quod ad unionem hypostaticam attinet, ea facta est salvis ut naturis, ita & naturarum proprietatibus: sicut recté & orthodoxè Synodus Chalcedonensis confessa est.

XII.

Inter alias autem proprietates naturæ divinæ est omnipræsentia: humanæ verò, circumscriptio & in certo loco comprehensio.

XIII.

Porrò sicut personalis naturarum unio non tollit earum per suas proprietates distinctionem: ita vicissim naturarum per suas proprietates distinctio non tollit personalem unionem.

XIV

Quare non est consequens, unionem personalem divelli, nisi ubicunq; est natura Christi divina, ibidem sit & humana: ac proinde nisi sit ubique.

Id quod

XV.

Id quod tum demum ſequeretur, ſi per unionem perſonalem naturæ eſſent exæquatæ.

XVI.

Deinde quod ad pronunciata illa Scripturæ attinet, obſervandum eſt, aliud eſſe attribui aliquid divinum perſonæ Chriſti ſive à natura humana denominatæ, ſive alterius generis nomine appellatæ: aliud verò, attribui aliquid divinum ipſi naturæ ejus humanæ.

XVII.

Exempli gratiâ: ſi dicatur, Filius hominis (nempe Chriſtus) colloquens cum Nicodemo in terra, ſimul erat in cælo: &, Natura Chriſti humana, colloquens cum Nicodemo in terra, ſimul erat in cælo. Hæc duo pronunciata non æquipollent: quia aliud eſt perſona, de qua loquitur pronunciatum prius: aliud natura, de qua poſterius. Et prius quod loquitur de perſona, verum eſt: poſterius quod loquitur de natura, falſum.

XVIII.

Similiter non æquipollent hæc duo: *Ego ſum vobiscum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſeculi*, Matth. ult. ℣. ult. &, Utraque mea natura eſt vobiscum &c. Quæ ſi æquipollerent: tum æquipollerent & iſta, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*: Johan. 8. ℣. 58. &, Antequam Abraham fieret, eſt utraque mea natura.

XIX.

Sed enim in utroque illo genere pronunciatorum, Synecdoche integri eſt in antecedente, quod ſubjectum vulgò nominant: quia tribuitur perſonæ, quod proprium eſt alterius naturæ.

XX.

Itaque ſenſus illorum pronunciatorum hic eſt: Filius hominis loquens cum Nicodemo, erat in cælo: ſcilicet ſecundùm deitatem ſuam, ſeu quod eódem redit, deitas ipſius erat in cælo. Sic, Ego ſum vobiscum &c. ſcilicet ſecundùm deitatem meam: ſeu quod eódem redit, deitas mea eſt vobiscum. nempe per gratioſam operationem Spiritus ſancti.

XXI.

Quod ſi quum Chriſto à natura humana denominato in ſcriptura aliquid divinum attribuitur, id referendum ſit ad naturam ejus humanam:

tum pari ratione, si quid humanum ei attribuatur denominato à natura divina, referendum erit ad naturam divinam. Verbi gratiâ, *Deus Ecclesiam acquisivit suo sanguine*, Act. 20. ℣. 28. *Dominum gloriæ crucifixerunt*, 1. Cor. 2. ℣. 8.

XXII.

Hoc autem nequaquam faciendum est: quia deitas humanis passionibus obnoxia non est, nec sanguinem habet, nec crucifigi potest. Est enim spiritus, Johan. 4. ℣. 24.

XXIII.

Synecdochen autem illam scriptura ipsa uspiam declarat: ut quum dicit, *Filium Dei factum esse ex semine Davidis secundùm carnem*, Rom. 1. ℣. 3. *Christum esse ex Patribus, quod ad carnem attinet*, Rom. 9. ℣. 5. *Christum pro nobis passum esse carne*, 1. Pet. 4. ℣. 1.

XXIV

Cæterùm Synecdoches illius prior modus in Scholis Theologorum nominari solet communicatio idiomatum, appellatione planè παραδόξῳ: quippe contradictionem implicante.

XXV.

Etenim, Si est aliqua proprietatum communicatio: consequens est, proprietates communicari. Si verò proprietates communicantur, jam proprietates non sunt. Quippe quod commune est, id proprium non est: & vicissim.

XXVI.

Interim appellationem illam admittimus, si rectè intelligatur & explicetur: videlicet quòd communicatio idiomatum nihil aliud sit, quàm modus loquendi de Christo, qua quod proprium est naturæ in ipso alterius, videri possit communicari naturæ alteri, propterea quòd tribuitur personæ ab altera illa natura denominatæ.

XXVII.

Estque duplex. Una species est, qua proprietates naturæ divinæ tribuuntur personæ denominatæ à natura humana: ut, *Nullus ascendit in cælum, nisi qui descendit è cælo, nempe filius hominis qui est in cælo*, Johan. 3. ℣. 13. *Quid si igitur conspiceretis Filium hominis ascendere eò, ubi erat priùs?* Johan. 6. 62.

XXVIII.

Altera species est, qua proprietates naturæ humanæ tribuuntur personæ

ſonæ denominatæ à natura divina. ut, *Deus acquiſivit Eccleſiam per proprium ſanguinem*, Act 20. ℣. 28. *Dominum gloriæ crucifixerunt*, 1. Cor. 2. ℣. 8. *Principem* (ſive ducem, τὸν ἀρχηγὸν) *vitæ trucidaſtis*, Act. 3. v. 15. *Sermo vitæ ab Apoſtolis viſus & contrectatus eſt*, 1. Johan. 1. ℣. 1. *De die illo & hora nemo ſcit, ne angeli quidem qui in cælo ſunt: nec ipſe Filius, ſed pater*, Marc. 13. ℣. 32.

XXIX.

Porrò ratio cur Scriptura utatur iſtâ ſynecdoche, graviſſima eſt: ut ſcilicet doceat, duas in Chriſto naturas perſonaliter unitas eſſe: id eſt, Chriſtum ſimul & verum Deum & verum hominem eſſe.

XXX.

Quippe cui, quum homo nominatur, tamen divina attribuuntur: & viciſſim humana, quum nominatur Deus. Niſi enim & Deus & homo eſſet: certè non ſimul homo nominaretur, & divina ei attribuerentur: neque etiam nominaretur Deus, & interim ei tribuerentur humana; idq; abſque metaphora.

F I N I S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-126702-p0010-5

Nh 1236.
8°
f
ULB Halle 3
002 819 279
An 31 nur vermuteft A → OL
f1-5 40 Stück
f23
VD 17 Nc

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-126702-p0011-1



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-126702-p0012-6

XVI.

THESES THEOLOGICÆ

De

COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Propositæ ad publicam disputationem in illustri schola Nassovica Herbornensi.

Præside

JOHANNE PISCATORE sacrarum literarum Professore.

Respondente

ZACHARIA WENNEMEYERO ASCANIENSI, M. Zachariæ Wennemeyeri Pastoris Plötzkaviensium filio.

XVII. Maji.

Herbornæ Nassoviorum. 1600.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-126702-p0013-2